



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

12 Quibus modis irritatio impediri possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

cur peccare quia nulli facit iniuriam non instituto, poterat enim illum prætermittere non hæc edibus ab intestato liquidem nullam illis obligationem habet: Ergo vitur tutissimo liberè de propriis bonis disponens. Neque obstat ex illo acta aliquam deceptionem, aut iniuriam occurrere, quia hoc est per accidens quod sufficenter honestari potest, si ob rescindendas iniquas, querelas importunas preces, & vexationes ita disponas: sic tenet Salas *disp. 16. sect. 6. Suarez lib. 5. c. 20. præcipud. num. 8. & 11.*

2. Dices, si contractus matrimonium clandestine, & professionem sine debita forma faceres, peccares grauius, esto solum esset decretum irritans: Ergo sufficit irritatio actus, vt prohibitionem inducat.

Respondet distinguendo consequens, sufficit irritatio actus vt prohibitionem inducat per ipsam legem, nego. At si aliunde ex lege ipsa naturali oritur prohibitio, transeat. In supradictis casibus de matrimonio, clandestino & professione sine debita forma nascitur prohibitio ex lege ipsa naturali, qua tenentur actus pertinetes ad religionem & iustitiam valde prætare, nisi aliquæ legitima causa excusetur.

3. Item si irritatio facta est in fauorem alicuius cui fauori ipse cedere potest non peccat inualidè actum faciens: sic filia renuncians hæreditati patris contenta dote non peccat, esto inualidè renunciet. Vnde alienans fundum dotalem cum licentia matris, quia hæc irritationes non sunt absolutæ, sed dependentes ab ipsi possunt enim iuramento illas firmare. Ergo non sunt censendæ peccare in tali renunciatione, & alienatione; & ita tradit Salas *n. 8. Suarez supra n. 11.*

4. Dixi in principio legem irritantem actum non prohibere illius executionem ex eo præcisè quod irritans sit vt aduertentes sæpe cum lege irritante coniungi prohibitionem, quod tum ex verbis legis, tum ex materia colligendum est. Si enim verba sint præceptiua, directæ ad personas, clarum est esse legem præcipientem: si autem materia sit exsecrata à lege, vt in ipso odium irritatio fiat, tunc certè præceptum de illa vitanda intelligendum est adesse, quod optime explicuit Suarez *lib. 1. de legibus, cap. 20. n. 10.* sic enim (inquit) lex irritans collationem beneficij per consensionem in conscientia prohibet illam; & lex irritans electionem religiosi ad Episcopatum acceptatam sine licentia sui prælati, prohibet talem acceptationem: sic etiam turpia legata, dum irretantur in odium scribentis, prohibentur, vt talium prohibita esse supponatur, in *L. turpia. ff. de legat. 1.*

PUNCTUM XII.

Quibus modis irritatio impediri possit.

1. Si ferenda sit à iudice omnibus illis modis impediatur, quibus impediatur sententia.
2. Si iniquis modis impediatur irritantis sententiam, probabilius tenet Suarez, te obligatum esse rescindere; tamen si non condemnaueris.
3. Quæ debeant supponi ad nostram sententiam.
4. Teneris contractum rescindere, si per actionem iniustam aduersus emptorem impedis rescissionem.
5. Secus si per actionem iniustam aduersus iudicem.
6. Quid dicendum in casu beneficii à te possessi, cuius collatio irritari potest.
7. Irritatio ipso iure imposita in pœnam delicti commissi, cessante delicto cessat.
8. Secus de irritatione ob bonum publicum, quæ nulla ratione etiam ob ignorantiam impediatur.
9. Irritatio in fauorem priuata persona, illa renuncians, cessat.

Ruocanda est in memoriam distinctio supradicta, de irritatione ipso facto, & incurrenda per iudicem. Si irritatio sit ferenda à iudice, impediti omnibus illis modis potest, quibus potest impediti aliqua sententia; cum enim hæc dati non possit nisi causa probata, & sæpe probationes deficient, hæc via optime impediti potest irritatio.

2. Difficultas autem est, si hunc defectum probationis iniquis modis obtineas, scilicet incurrendo metum parti læsæ, ne rescissionem intenter, vel si intenter negas, veritatem, aut subornas iudicem aut falsos testes inducis an tunc teneris in conscientia contractus rescindere, etiam si à iudice non fuerit irritatus?

Suarez *lib. 5. disp. 21.* probabilis existimat te teneri. Probat quia per iniustitiam impediti, ne rescinderetur contractus: Ergo obligaris illum rescindere, cum possis, & confirmas: nam vel teneris restituere aliquid actori, eo quod impediti actus rescissionem, vel non? Dicere autem te nihil restituere esse obligatum affirmat esse incredibile: si autem obligatus es aliquid restituere, necessario dicendum est te esse obligatum restituere rem ipsam & contractum dissoluere, quia alia re-compensatio non est faciendæ, cum debitum restitui potest in propria specie.

3. Verum te meam sententiam pronuntiam, suppono hanc naturæ te obligatum non esse rescindere contractum, sed solum reparare damnum factum, v.g. vendidisti rem ultra dimidium iusti pretij, teneris inquam, iure naturæ reddere emptori partem illam pretij in qua excessisti iustitiam æquitatem, & insuper damna si aliqua euenierint ex dilacione huius restitutionis. Ad rem autem reddendam nunquam teneris nisi postea sententia & applicatione iudicis, qui valet rescindere contractum in pœnam excessus & iniustitiam commissa; emptor autem ius non habet recuperandi rem nisi adueniente sententia & applicatione iudicis.

Secundo suppono dupliciter te posse impedire hanc irritationem, vel per actionem iniustam aduersus emptorem, vel per actionem iniustam aduersus iudicem: actio iniusta aduersus us emptorem est, si dolo, vi, metu, & fraude emptorem detineas, ne contractus rescissionem procurer, vel iudicem impedias, ne sententiam pronuntiet. Actio vero iniusta aduersus iudicem est si interrogatus in iudicio negas veritatem ad idem reduci potest si precibus aut donis absque aliqua vi iudicem persuades ne rescissionem faciat, his ergo positis.

4. Dico primo si per actionem iniustam aduersus emptorem impedis rescissionem contractus, teneris contractum rescindere, quia damna quæ ex iniustitia facta alicui obueniunt debent reparari. Item emptor, & quilibet alius habet ius à natura concessum in iniuriis impediatur à consequentia legati, hæreditatis, muneris, vel alterius cuiusque beneficii: quia ratione dicunt communiter Doctores, te teneri ad restitutionem, si vi, dolo, aut fraude impedis alicui legatum, quod defunctus intendebat relinquere. Nam licet ad legatum non habeat ille ius vllum in re supposita declaratione voluntatis defuncti habet ius ne illi hæc declaratio iniuriis impediatur. Ita similiter in præsentj dicendum est neminem habere ius ad rescissionem contractus validi, nisi supposita sententia iudicis: quia tamen habet ius, ne iniuriis hæc sententia sibi impediatur, ideo si illam impedis obligatus es iniuriam reparare: & cum possis rescindendo contractum integrè reparare, ad eius rescissionem teneris, & hæc doctrina non solum habet verum in rescissione contractus sed etiam in qualibet pœna applicanda actoris: nam licet actor non habeat ius ad pœnam, nisi supposita sententia, & applicatione iudicis, habet tamen ius, ne iniuriis impediatur talis applicatio.

5. Dico secundo, si per actionem iniustam aduersus iudicem impedis contractus rescissionem non teneris rescindere, sic videtur sentire Nauarr. *cap. 18. n. 48.* & Valquez *de legibus, disp. 175. cap. 1.* quatenus affirmat nullum teum obligatum, esse ad restitutionem pœnæ debitæ post condemnationem etiam iniuriam & iniuste impediatur, quia tunc non committis iniustitiam aduersus emptorem, quia emptor ante sententiam non habet ius iustitiæ, vt sibi pretium reddatur, sed solum habet ius à lege illud intendendi, & procurandi: Ergo cum in iudicio negas veritatem, non committis iniustitiam aduersus emptorem, quia ipse emptor non habet ius iustitiæ: vt in iudicio veritatem manifestes: hoc enim ius oriri poterat ex eo quod haberet ius iustitiæ ad rescindendum contractum at hoc non habet ante sententiam, sed solum habet ius ad procurandum, quod est ius legale. Ergo nulla iniustitia aduersus emptorem committitur, ac proinde nulla est obligatio reparandi: Confirmo. Si denunciatori delinquentis applicanda est aliqua pœna ob denuntiationem factam, & tu impedis illius consequentiam; communior sententia quam etiam approbat Suarez *lib. 5. cap. 27. n. 7.* tenet non esse obligatum, quia ipse non habet ius iustitiæ ad pœnam antecedentem ad iudicis applicationem: sed similiter emptor non habet ius iustitiæ ad rescissionem contractus, nisi applicatione facta. Ergo ad intendendam sententiam & procurandam pœnæ applicationem à lege habet ius denunciator, sicuti habet emptor ad rescindendum contractum, sed hoc ius non præstat negationem veritatis in iudicio esse contra iustitiam commutatam. Ergo, Neque etiam ius quod habet emptor ad contractus rescissionem: nam quod vnum ius concessum sit ob bonum commune reipublicæ, aliud ob speciale partis læsæ, accidentarium est, si vtrumque ius est eiusdem rationis, scilicet legale.

6. Ex quo inferendum est, si consequutus fuisti beneficium valde siue per alicuius resignationem, siue per ordinarij provisionem; & alius quia cognouit aliquem defectum, ratione cuius cassari electio potest, intenter cassationem: tu vero negando veritatem in iudicio, vel alia via, quæ non sit actio iniuriola impedis irritationem non teneris ad nullam restitutionem, quia nullam iniustitiam aduersus procurantem irritationem committis: illa enim irritatio tanquam lex pœnalis iudicanda est: sic docet Suarez de beneficio non per resignationem acquisito, sed vacanti absolute, & ab ordinario tibi concessio.

7. Restat loqui de irritatione ipso iure imposita. Supponimus ex læpè dictis hanc irritationem imponi posse, vel in pœnam delicti commissi, vel in fauorem reipublicæ aut membrorum eius. Si irritatio imposita est in pœnam delicti commissi, quacumque via delictum excusetur, excusabit irritatio, quia cessante

cessante adæquata causa legis, debet cessare lex. Cum ergo adæquata causa sit culpa, & hæc cesset, cessabit irritatio: & ita docet alios referens Suarez lib. 5. de legibus. cap. 22. n. 3. Difficultas autem est, an ignorantia irrationis penaliter excuset ab illa incurrenda. si delictum, cui est annexa, commissum est. Huic difficultati satisficimus, cum de ignorantia peccati constituta per legem loquimur: ubi enim, ut probabile, defendimus non contrahi peccatum.

8 Si autem de lege irritante ob bonum commune loquamur, qualis est illa, quæ testamentis, electionibus, matrimonio contrahendo formam præscribit, ob nullam viam, neque ob ignorantiam, neque ob vigentem aliam causam, impeditur irritatio potest, quia effectus irrationis à sola lege causatur, & cum illa de se efficaci sit operati talem effectum, non potest à subito impediti. Constat, quia actus non potest habere valorem, nisi ex voluntate legislatoris: at legislator resistit valori, quando non servat formam ab eo præscriptam. Ergo. Neque obstat legem humanam cum gravi detrimento non obligare; quia lex non obligat ad irrationem, sed illam imponit; & ita tenet eam communi sententia Sanchez pure referens lib. 3. de matrim. disp. 17. num. 10. Gutierrez de matrim. cap. 61. n. 7. Salas disp. 16. sect. 3. Suarez lib. 5. disp. 22. à n. 4. Nauarr. cap. 23. à n. 44. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 7. num. 22. Henric. lib. 11. cap. 5. num. 5. Contarium huius conclusionis videtur tenere Tiraquel, alios referens de legib. connubialib. glossa 6. num. 34. Alderan. Mascard. de generatib. status. interpretand. lib. 9. n. 78. & 82. Farinac. citans plures 2. part. fragment. verb. lib. n. 21. & 22. dicunt enim necessitate compulsos non implete formam præscriptam, non vitare obinde actum, sed firmum esse, ex præscripta, inquam, voluntate legislatoris notentes in eo casu obligare. At hæc doctrina vera esse non potest, nisi cum irritatio fit in peccatum, vel est irritatio fetenda per iudicem, & non ipso facto.

9 Quod si lex non absolute irritet actum, sed in favorem alicuius private persone: tunc certum est irrationem impediti posse ipsa persona renunciant, ex cap. ad Apostolicam, de regul. iur. & c. anis, de testib. quia tunc lex non intendit causare irrationem, nisi in quantum alteri commodum fuerit. Quia ratio contractus pupilli sine autoritate tutoris & religiosi sine licentia Prælati, esto irriti sint, si tamen cedant in utilitatem pupilli, & religiosi, debent valere; quia in eorum specialem favorem irrita decernuntur, & quod in favorem alicuius introductum est, non debet in eius dispendium retrorqueri ex regul. 61. de regulis iuris, in 6. sic docuit Nauarr. comment. 2. de regularib. num. 32. Salas disp. 16. sect. 3. fine. Suarez lib. 5. cap. 33. num. 7.

PUNCTUM XIII.

An omisio levis formæ substantialis reddat irritum actum.

- 1 Varia sunt Doctorum placita.
2 Dicendum est levis formæ substantialis omissionem reddere actum nullum.
3 Forma ad unquem est specificè servanda.

1 **V**aria sunt placita Doctorum, ut videre est apud Suarez lib. 5. cap. 32. n. 8. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 7. n. 2. Molinam de iustit. disp. 81. in fine & Molin. de primog. lib. 2. cap. 6. n. 3. Azor. 1. part. lib. 5. cap. 28. vers. animadvertendum. Greg. Lopez in l. 5. r. 6. p. 6. Salas de leg. cap. 2. sect. 3. vers. de iniquitate. Alij affirmant leuem formæ substantialis omissionem vitare actum, sic Suarez, & alij. Alij negant, uterque Salas, Molina, Bonacina, & alij.

2 Dicendum tamen est videri implicatum statim leuem omissionem formæ substantialis: nam si aliquid formæ substantialis omittitur, vel illud quod omittitur pertinet ad substantialem formam actus, vel non; si non, iam non est pars formæ substantialis, & de illo non est questio: si autem pertinet ad substantialem formam, impleat sine illo substantialem formam esse, & consequenter actum, qui ex illa constituitur: ac proinde non est levis, sed gravis omisio, probatur efficaciter ex lib. cum bi. §. si prator, ff. de transactio. ubi transactio censetur nulla, si non de omnibus inquiratur, quæ oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, & de personis, quantum de quibusdam quaeritur. Adde vix posse contrarium opinantes assignare, quæ formæ substantialis levis omisio sit: nam in testamentis omisio vnius litteræ, si mutat sensum, non est levis omisio: in testamento, & in contractu matrimonij omisio vnius testis, non reparatur levis omisio: in inquisitione, si non præcedat infamia, & sic de alijs. Quæ ergo signati potest levis omisio: ergo non est concedenda, & sic tradit plures referens Farinac. 2. part. fragment. ubi de lege. pag. 2. to. n. 208. Tuscus verbo forma, conclus. 415. n. 13. & 411. n. 7.

2 Ex hac doctrina fit primò, formam ad unquem, & vt facit, exequi debere, neque ei aliquid addi, aut minui potest. Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

quin contrahat actus: sic Cardin. Tuscus præcis. concl. verbo forma, conclus. 415. Tiraquellus de retractu lignag. §. 1. glossa 21. sub n. 11. & de retractu consensionali §. 4. glossa 6. sub n. 31. Farinac. 2. part. fragment. ubi de lege. num. 214. Alderan. Mascard. de generatib. status. interpret. concl. 9. n. 56.

Fit secundò, quando lex, seu statutum aliquid pro forma exigit, illa specificè adimplenda est, & non sufficit per æquipolens, tradit Roland. cons. 30. n. 4. lib. 3. & consil. 72. n. 54. & seqq. Alderan. Mascard. supra n. 62. Farinacius n. 209. Tuscus verbo forma, conclus. 415.

PUNCTUM XIV.

An lex irritans incipiat habere effectum à puncto publicationis.

- 1 Proponitur ratio dubitandi.
2 Resolvitur ante tempus publicationis non habere effectum, nisi expressis verbis declaretur.

1 **R**atio dubitandi est; quia huiusmodi effectus à sola lege emanat, afficitque ignorantem. Ergo optime potest à puncto publicationis causari. Et confirmo. Lex prohibens concedit tempus subditis post eius publicationem; quia obligationem illis inducit, quam obligationem subire non possunt, sine eius notitia: at lex quatenus est irritans, nullam subditis inducit obligationem, sed tendit ad annullandum actum, siue sciant, siue ignoranter fiat. Ergo ex eo puncto, in quo lex constituta est, poterit irritare; & ita de legibus canonicis sententia Nauarr. ca. 23. n. 44. & lib. 3. consil. cii. de regularib. consil. 31. n. 5. Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 2. casu 185. n. 2. Syluest. verbo lex. quest. 6. d. 10. 3. & alij plures relati à Suarez lib. 5. de legib. cap. 33. n. 5. & à Sanchez lib. 3. de matr. disp. 17. n. 10. Farinac. 1. part. fragment. verbo constitutio. num. 672.

2 Dicendum tamen est nullam legem civilem, aut canonicam irritare actum antequam transeat tempus, in quo possit obligationem inducere, nisi id expressis, & manifestis verbis legislator declararet. Probo, quia ante illud tempus non censetur sufficienter applicata lex, ut in notitiam subditorum deveniat, sed irritare actum, antequam possit in subditorum notitiam devenire, obstat recte gubernationi: quid enim magis contrarium rectæ gubernationi esse potest, quam existimare subditos se valide contrahere, cum tamen invalide contrahant: sequerentur enim ex hoc non levia incommoda, ut de se patet. Ergo. Dixi, nisi id manifestis verbis legislator declararet: nam tunc procedit ratio dubitandi facta, in qua probatur hunc effectum irrationis non pendere à notitia subditorum, sed à lege causari, ac proinde posse ipsam legem, eo ipso, quo est constituta illum efficere: sic Sanchez, & Suarez supra.

PUNCTUM XV.

Quando pœna imposita actui, efficiat inualidum, quando non.

- 1 Pœna imposita actui, qui non obstante prohibitione fieri validdus potest, non efficit inualidum.
2 Contrahentes matrimonium clandestinum inualidum, non contrahunt pœnas iure antiquo latas.
3 Prælati excommunicati nulliter, non contrahunt pœnam suspensionis, cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.
4 Pœna imposita actui inualido, inualidum facit.
5 Debet tamen esse inualidus ex illa ratione, qua imponitur pœna.

1 **R**espondeo consideranda esse verba legis: si enim lex puniat actum, qui valide fieri potest, non obstante prohibitione, non incurritur pœna ob actum inualidum. Et ratio est, quia non censetur tunc prohiberi illa lege actus inualidus sed validus. Nomine actus, non venit regulariter intelligendus actus nullus, sed verus, ut probat Tiraquellus de retractu lignagier. §. 1. g. 2. num. 5. & 6. r. l. bones, §. hoc sermone, tota limit. 1. ff. de verbor. signific. deaphin. de priuilegijs iuramenti. priuileg. 71. sine qua idem est non esse, & esse nullum, lib. data sunt Titij, ff. de testament. iust. & ita tenet alios referens Suarez lib. 5. cap. 34. numer. 13. Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 2. num. 2. & 5.

2 Ex quo infero primò contrahentes matrimonium clandestinum inualidum, non incurtere pœnas latas ab antiquo iure contra celebrantes matrimonia clandestina, quia illæ censuræ contra celebrantes matrimonia clandestina valida, non inualida ut constat ex verbis Concilij sess. 24. cap. 2. ubi reddit irrationem, quare irritauerit matrimonia clandestina antiquitus valida, quia ex illis ad alias nuptias transibant, & in perpetuo concubinato vivebant. Supponebat ergo Concilium esse valida matrimonia. Ergo ob inualida matrimonia non imponuntur.

DE CASTRO SUM. MOR. PARS I.